



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Flamines.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**Q**uod nonnulli legendum arbitrantur, *Capitis munitio triplex*, pro tribus pilei speciebus, vel triplici eorum conditione, qui pileum assequerentur. Sedenim minutio, inferius ostendemus, longe castior est lectio. Quod vero attinet ad libertates, tres manu mittendi rationes erant. Prima, qua majorem & justam libertatem consequerentur, ita ut etiam cives Romani fierent. Altera, qua Latini fierent, ex lege Julia Norbana-Postrema, qua in ordinem deditiorum ex lege Ælia-Santia adscribebantur. Tres has manumittendi species tangit Boëtius primo Topicorum commentario. Apud Tacitum duas tantum institutas reperias. Quas vero Boëtius enumerat, sunt, census, vindicta, testamentum, de quibus apud Jurisconsultos copiosius, de his Plautus, Cassina: *Tribus, inquit, conduci non possum libertatibus, quin ego hodie illis comparem magnum malum.*

## FLAMINES. CAP. X.

**S**ane pileus apud Romanos Sacerdotii symbolum semper fuit. Nam Flamines à Numa constituti, quasi pileamines dicti, quamvis nonnulli arbitrentur à Flammeo, quod est capitis tegumentum, appellatos. Nam & infulæ, & mitræ, & amictus alii atque alii sacrificulis attributi: sedenim ut in Sacerdotio pileum præstare fateamur, Fabii Pictoris autoritas facit, qui Flaminem ait non posse esse sub dño sine pileo, sub tecto autem, ut libebat: quem quidem morem in sacerdotio etiam nostro servari nemo non videt. Domo enim provehi præfulem sine pileo, nefas habetur.

## HIPPOCRATES. CAP. XI.

**A**nte alias autem antiquorum statuas Hippocratis imago pileata celebratur, eoque habitu multis locis erecta. Ex eo nonnulli hieroglyphicè interpretati sunt partem eam custodiendam, in qua tanquam in domicilio, princeps animus resideret, totaque intelligendi vis collata esset. Alii ex Græcis solam hominis nobilitatem inde intelligi volunt: utpote qui cognationem ab Appolline & ab Hercule traheret. Nam eum ab Æsculapio oriundum senatus Atheniensis testatus est publicis etiam monumentis. Id vero si ad libertatem referamus, cui potius Liberatoris nomen accommodare debeamus, quam illi, qui tot mortalium corpora morbis tot obnoxia liberavit, & bonæ restituit valetudinis, sitque humanæ incolumitatis auctor appellandus, si merito tum titulo honestare voluerimus? Non desuere tamen qui rem maligne admodum interpretarentur, & quod illi honoris causa datum erat, modo calvitium, modo imbecillitatem capitis, modo quid iis inanius tradiderint inde significari. Quod quidem de Pericle memoriæ proditum est, qui ea de causa pileo uti consueverit, quia capite esset supra modum acutiore, unde ab æmulis *κορωνέοπαλος* appellabatur. Hinc etiam, ut alibi diximus, statua ejus cum casside posita. Formam tamen hanc, quæ dedecori nonnullis adscribitur, *Genuesis obstetricis* nuenfes honorificam, & adeo ingenuam ducunt, ut obstetrices statim nato puero nihil diligentius curent, quam infantuli caput tenerum, palmis digitorum complexu complicatis, adstrictum producere, & fasciis colligatum, donec solidius fiat, conservare.

## FORMA PILEI. CAP. XII.

**A**ntiqua vero forma pilei est, quam Lucianus in Dipside describit, dimidium quippe corticis alicujus ovi. Nam apud Garamantas ex struthiorum ovis singulis in æquas partes dissectis, D bini sunt pilei. Tanta ibi est ejus ovi magnitudo, eoque capitis tegumento populi illi sibi plurimum applaudunt. Eo porro pilei figura est in numo, quem Imp. Gordianus Pius Fel. Aug. cussit, cum signo ab altera parte, cujus læva hasta toto cubito surrecto innititur, dextera pileum ea qua dictum est forma prætendit, inscriptio, *LIBERTAS AUG.* Non negarim tamen in aliquot monumentis, ubi signa majora sunt, extremum pilei marginem paululum sursum versus inflecti, ut in statu aliis observavimus, præsertim Mercurii. Sed & numismata pleraque eam pene speciem ostendunt. Variatum autem apud has & illas nationes, ut alii marginem dilatarint, tam pluvius amolendis, quam sereno umbris captandis: alii cavam partem præferint, alii alte sustulerint, eamque acuminatam, alii produserint, alii planam esse maluerint. Neque tamen nefcius sum pilea apud Romanos ex lacernis cæsis consui solita, quod & apud Papinium & Martialem habetur, quem morem longo antiquatum tempore, nostra ætas *revoca*